



Theophili Raynavdi Societatis Iesv Theologi, Opera Omnia

Tam hactenus inedita, quàm alias excusa, longo Authoris labore aucta & emendata : Accessit Tomvs Integer Complectens Indices Septemdecim in vniversum Opus, omnium quotquot prodierunt locupletissimos, Qvibus Absolvts Divinae Av Humanae Eruditionis Thesaurus Orbi literato aperitur ; Adiectus est ...

Raynaud, Théophile

Lugduni, 1665

Capvt IX. Verbum Inequitans.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79561](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79561)

nam quicquid in se habet dulcedinis, quicquid honoris & potestatis. Denuo mutua vicissitudine in se ipso resumit, quicquid ab ea paupertatis, quicquid amaritudinis, quicquid contumelie est & passionis. Hac commutatione, ipsa proculdubio dicitur, sed ipse non minoratur; ipsa melioratur, nec ipse sua Maiestate priuatur. Nam amarum nostrum, vertit in dulce suum; opprobrium in gloriam commutat; de spinis nostris colligit ficus; de rubro vindemiat vnam; de morte vitam; de passione mercatur gloriam. Sponsus iterum, quia gigas est, magnitudine, sol pulchritudine, leo fortitudine, abyssus scientia profunditate, Deus aeternitate. Sponsa verò puella etate, paruula quantitate; Ethiopissa coloris nigredine, femina debilitate, facta in omni prudentia & arte: Idcirco in thalamo contraxit se, paulo minus minoratus ab Angelis: Exiit se vestimentis gloriæ, accinctus cilicio. Deposuit fortitudinem, circumdatus infirmitate. Abscondit sapientiam, ut (inuentum factus,) in derisum esset tota die omni populo; aeternitatem dissimulauit, factus sub sole, ut quasi cum tempore temporaliter curreret, nec deficeret. Os illud Alissimi, collatum & coarctatum est modicitati oris (ponit: manus tornatiles, quæ cælos tetenderunt, affixæ sunt, manibus vulneratis convulneratæ; pedes pedibus compedibus adhaerent; venter ventri conglutinatæ est. Res equidem pia, cum infinite immensus abbreviatur ad deiectionem, sed nihilominus mira, cum reparatur ad vnitatem personæ Filij Dei, natura filiorum Adæ.)

Descripsit hanc Verbi Dei abbreviationem S. Bernardus serm. 1. de nativ. Dom. Tum addit fructum quem par sit Christianos omnes ex abbreviati Dei contractione in angustum, colligere. [Ad quid hoc fratres, aut quæ necessitas fuit, ut sic exinaniret se, sic humiliaret se, sic abbreviaret se Dominus Maiestatis, nisi ut vos similiter faciatis? Iam clamat exemplo quod postmodum prædicaturus est verbo: *Disce a me, quia mitis sum, & humilis corde*: Ut verax inveniatur, quid dicit: *Capitulum Iesum facere & docere*. Obsecro proinde, & plurimum rogo, fratres, non patiamini, sine causa iam preciosum exemplar vobis exhibitum esse, sed conformamini illi, & renouamini spiritu mentis vestræ. Studere humilitati, quæ fundamentum est ceterosque virtutum. Sectamini illam, quæ sola potest saluare animas vestras. Quid enim magis indignum, quid detestandum amplius, quid grauius puniendum, quam ut videns Deum cæli paruulum factum, ultra apponit homo magnificare se super terram? Incolerabilis impudentiæ est ut vbi se exinanivit Maiestas, vermiculus in fletu, & intumescat. Hoc igitur est propter quod exinanivit se, formam serui accipiens, qui in formâ Dei patri æqualis erat.]

CAPVT IX.

Verbum Inequitans.

357. ¶ Insidens humanitati assumptæ tanquam equo diuinum Verbum si exhibere aggrediar, verendum est, ne quos nimbo ante paucos annos, ob huiusmodi comparationem vsurpatam, Lutheræ aduersus P. Franciscum Garassum iphoruissæ constet, eos in me deuocem. Pereruditus hic scriptor, mole insignium operum quæ partim iam prodierunt, partim cudenta supersunt, apud æquos lectores clarus, sed morte postea in caritatis ministerio obita longè clarissimus, opus scripsit vernacula lingua, cui titulus est *Summa Theologica*. Quod & verbo in Concionibus, & scriptione multiplici, Athæis occultis è Theophili Viandi ganea aere bellum indixisset, tantæ in illud opus clamantium effervere iræ, tot videlicet brutorum censurarum fulmina vibrata sunt, ut non atro-

cius configi pestilentiſſimus liber ex Caluini aut Lutheri incude potuisset. Inter ea verò quæ immedicabiliter ægra in eo opere sunt notata, præcipuum, aut de præcipuis vnum, illud fuit, quod obiter Autor lib. 3. tract. 2. sect. 6. Insidens humanitati Verbum, tanquam inuento inequitans exhibuisset. Hunc esse apertum Nestorianismum, quo Diuina personalitas secum in Christo admittit creatam humanitatis personalitatem asseratur, æquæ ac eques & equus cui insidet, duo sunt supposita, tanquam exploratum quodque extra omnem controuersiam esse deberet, non ab hostibus modò, sed & ab ijs qui cæteroqui insens non erant, esseque saltem non debebant, passim iactatum, ipsimet vidimus. Et diserte quidem Autor ibidem sect. 2. & alibi insinuat, non esse in Christo substantiam creatam tradit, tamen aded terra visa est comparatio illa, hinc equitis & equi, inde Verbi & humanitatis assumptæ, ut nullam vel interpretationem vel benignam excusationem visa sit admittere.

Verbum humanitati velut inequitare, Catholicissime dicitur.

358. Hæc reputanti mihi, subije animum egregia illa Bernardi, (vel potius Guilielmi à S. Theodorico) monitio ad fratres de monte Dei. [Intentioni seruit lectio. Si verè in lectione Deum querit qui legit, omnia quæ legit, cooperantur ei in bonum, & captiuat sensus legentis, & in seruitutem redigit omnem lectionis intellectum in obsequium Christi. Si in aliud declinat sensus legentis, omnia trahit post semetipsum. nihilque tam sanctum, tam pium inuenit in Scripturis, quod seu per vanam gloriam, seu per distortum sensum, seu per prauum intellectum, non applicet vel malitiæ vel vanitati. In omnibus enim Scripturis, legentis initium debet esse timor Domini, ut in eo primò solidetur intentio legentis, & ex eo ordinetur & exurgat totius lectionis intellectus, & sensus.] Non agit de Scripturis tantum canonicis, sed vniuersè de quavis inscriptione: & rectè ait, pro affectu legentis fragrare aut putere quod legitur; id quod mihi in hac re est manifestissimum. Et ut præteream insulsiatatem illam de Autoribus, ex vno verbulo neglectis adiunctis pronuntiandi; meritò castigatam ab Eulogio apud Photium Cod. 215. sed illi ipsi comparationi quæ tantopere in inuidiam vertatur insistant, quæ ista non dico equinitas, sed alinitas fuit, similitudinem in Scripturis & Patribus aded protitram, damnare tanquam errore immedicabili & Nestorianismo sordentem? Age igitur & Catholicam, & valde accommodatam esse, hinc equi & equitis, inde humanitatis & Verbi comparationem demonstramus.

Quia Verbum se habet ad humanitatem, ut anima ad corpus, cui velut iumento insidet.

359. Erit cui petenda inde videatur probatio, quod non secus se habeat Verbum ad humanitatem, quam anima ad corpus suum, iuxta illud, *Sicut anima rationalis & caro vnus est homo, ita Deus & homo, vnus est Christus*: Quæ comparatio, non modò quoad exurgentem ex anima & corpore substantialem vnitatem valet; (idem etiam est inter Verbum & humanitatem cum sit virtusque vna substantialis vnio, & ex ambobus illis existat vnum suppositum substantiale;) sed etiam valet quoad alia, ut quoad directionem quam anima corpori debet, & humanitati quoque à Verbo debetur. Item quoad innumera bona quæ ab anima in corpus deriuantur, ut docet mors; in qua apparere quid

anima cum Verbo permanet vnus Christus inuisibilis. Itaque album equum, & eum qui sedebat super eum, vnum intelligimus Christum; & hunc equum, illud esse iumentum, de quo in illa Parabola de homine qui inciderat in latrones, sic dictum est: *Et appropians, videlicet Samaritanus, alligauit vulnera eius, infundens oleum & vinum, imponensque illum in iumentum suum, duxit in stabulum.* Samaritanum illum sedentem super iumentum suum, vnum intelligimus Deum, & hominem Christum. Qui profecto vulneratum hominem super iumentum suum imposuit, quia peccata generis humani ipse in corpore suo pertulit. Et recte hic equus albus dicitur, quia quod certum tenet fides Catholica, hic homo de Spiritu sancto conceptus, sine peccato de Virgine est natus. Ratam habet eandem doctrinam, & humanitatem denotat confert cum equo albo, Verbum cum sessore, lib. 1. eiusdem operis, ad illud cap. 18. *Et vidi calum apertum, & ecce equus albus.* Quem locum aliam expositionem non pati, sed necessario ibi humanitatem Christi, equo; Verbum diuinum equite insidente expressum, accipiendum esse, affirmat ibidem Blasius Viegas sect. 1. num. 2. quia paulo post de sessore subiungitur: *Vocabatur nomen eius, Verbum Dei.*

361. Et quamquam alij, non inuicem aliter alid accommodant predictum locum, quia Verbum diuinum mystice agit quosuis equos mysticos, tamen mens Rupertii aperta est; nec non aliorum plurimorum, qui similiter de humanitate tanquam equo, & de Verbo tanquam sessore, interpretati sunt locum illum. Annumerandus ijs est S. Ambrosius in Psal. 40. ad illud: *Magnificauit super me supplantationem.* Accommodat enim ad Antichristum illud Gen. 49. *Fiat Dan columba in via, mordens ungulas equi;* Tū subdit: *[Et quia similiter Iudas amplificasse super Christum legitur supplantationem, videtur hoc loco ipse signari, quod mordere haberet calcaneum equi, quo Christus Dominus vehabatur. Vnde dictum est: Equitatus tuus salus, quod caro eius, mundi totius erat susceptura peccatum, ut salus pro exitio, & vita aeterna pro morte succederet. Vulneratus est ergo equus, non mendax solus ad salutem. Vulneratus est equus, qui mundi totius peccata suscepit, & onera nostra portauit, & non fuit fatigatus. Vulneratus est equus, qui ad furorem concubitus adhinnire nesciuit. Et ideo fortassis Ioanni Evangelista celum apertum, & albus equus est demonstratus, super quem sedebat habens in capite diadema, & in femore suo nomen scriptum, Rex Regum, & Dominus dominantium.* Albus erat, qui erat immaculatus, quia nulla peccati inquinamenta cognouerat. Nam si libido tenebrosa est, recte sanctimonia relucet & spendet. Hic ergo equus est vulneratus, sed non retardatus. Denique cū ipso vulnere de tumulo resurrexit, & euenit ad celum, supra omnes Angelos & Archangelos, velocior omni equitatu militiae caelestis inuentus: supra equos etiam illos igneos quibus Elias rapus est. Et merito velocior, qui super omnes caelos, & supra caelum caelorum ad sedem Dei omnipotentis ascendit, & sedet, ut Scriptura nos docuit, dicens: *Videbitis ab hinc. Filium hominis sedentem ad dexteram virtutis.* Hic itaque equus, in figura & ante est demonstratus tempore Machabeorum: quem cadebat dux ille militiae caelestis aureis armis resurgens, qui Heliudorum depulcatorem illum depositum viduatis, ceterorumque, quae facia fuerant commendata custodire, & strauit, & percussit, & prostratum Oniae Sacerdotis precibus, vitali vsui reformauit. Vnde verè in eo arma aurea respluerunt, quia solus equum hunc credidit, & vicit, in quo nullus culpe immunis euasit.]

Origenes quoque, hom. 2. in Cant. eodem modo accipi posse tradit locum illum. *[Et forte quidem diceret, quam assumpsit Primogenitus omnis creaturae, & de qua dicebat: Potestatem habeo ponendi eam, potesta-*

tem habeo iterum sumendi eam. Alius verò vtramque simul corpus atque animam, quasi ibi peccatum non fuerit, equum dici album putabit. Addit alium insuper interpretationem, quia equus ille albus intelligitur Ecclesia. Non retractat tamen, aut vllatenus improbat quae praemisit, sed planè rata habet.

Attipulatur S. Hieronymus in cap. 66. Esaiæ ad illud: *In equis & in quadrigis,* tantumque discrepat, quoad equi colorem, proposito enim eo Apocalypsis 16. addit: *[Equo russo sedebat Dominus atque Saluator, humanum corpus assumens, cui dicitur: Quare rubra sunt vestimenta tua? Et, Quis est iste qui ascendit de Edom fulua vestimenta eius de Buzra? Et sequebantur eum varietum colorum equi, vel in martyrio rubri: vel struini in volatu, vel varij in virtutibus, vel candidi in virginitate. Equo autem sedebat albo, quando post resurrectionem, immortale & incorruptum corpus assumpsit. Et quicumque eum sequebantur candidis vtebantur equis, incorruptis videlicet immortalibusque corporibus.]* Equum album, quem ceteri ob vitæ innocentiam in Christo etiamnum viatore, agnoscunt esse sanctissimam eius humanitatem; S. Hieronymus ob passionem manulæ dicit equum rufum, seruata equi albi denominatione humanitati rediunt, & gloriosa post passionem & mortem discussam: contra quam Rupertus lib. 1. in Apocal. de cap. 19. humanitatem Christi, primò ob nitorem equo albo, postea ob mortem cruentam, equo russo vult expressam; quod discimur ad rem praesentem nullum esse, ut per se liquet.

361. In eundem sensum S. Hieronymus in cap. 1. Zachariae, accipit illud, quod ibi habetur de viro ascendente super equum rufum, & stante inter myrteta. Equum enim rufum, ait esse humanitatem assumptam, quae insidente Verbo, ruffa est exhibitæ eo loco, quia visio Zachariae captiuum populum per Christi passionem liberandum specebat. At in Apocalypsi, eandem humanitatem candido equo expressam esse censet, ob resurrectionis gloriam. Stabat autem eques ille inter myrteta quæ erant in profundo, quia Angelicæ potestates per myrteta expressæ, Dominus etiam in carne posito, ministrant. Equi vero ruffi, & varij, & albi consequentes equitem, partim Martyres sunt per rufos equos adumbrati; partim virgines quibus respondet equus albus; partim operibus & doctrina & varietate signorum conspici, insidere dicuntur equis varijs. Exscripsit Hieronymus. Glossa ibi. Egrege autem in hunc Zachariae locum, ad rem nostram scripsit Petrus Cellensis l. de panibus cap. 23. sic scribens. *[Zacharias Propheta vidit, inter myrteta virum ascendentem super equum rufum, & post eum sequebantur equi ruffi, varij, & albi. Mystice igitur vir qui ascendit super equum, Christus est, qui corpus assumpsit humanum, super sedit enim in corpore suo, tanquam in equo, Dominus: quia vallem nostram visibiliter non visitaret, vel perambulare, nisi corpore assumpto, Deus. Aptauit autem Pater, Verbo, corpus non cuiuslibet coloris, vel habitudinis, sed quale Deum decuit, sed quale ad parandum cursum, necessarium fuit, sed quale nostra redemptio postulauit. Inde namque est illud in psalmo: Corpus aptasti mihi, vel aures perfecisti mihi: Aptauit inquam, equum equiti, ut nobilissimo corpori nobilior associaretur anima, & super utriusque sederet Diuinitas. Fortè equus iste, idcirco ruffus est, quia dignitatem sessoris non sine verecundia contnetur: & ita propter suam reuerentiam rubore perfunditur. Imò equus iste ruffus est, quia factus in agonia, prolixius orabat, & facta sunt gutta eius, quasi gutta sanguinis decurrentia in terram. Sed hoc parum forte est. Vide & ubi prorsus non sparsum, sed toto corpore, à planta pedis vsque ad verticem sit ruffus. Chlamydem coecineam in passione sua circumdederunt ei milites; & hic ruffus est, Clausis tandem affixus est, & latus lancea aper-*

tum, vnde extitit sanguis & aqua. Ecce quomodo vermiculatus est; ecce quomodo rufus est equus noster. Sicut est David, iuuenis erat rufus & aspectu decorus. Ioannes vero Evangelista aliàs, hunc eundem equum videlicet, qui sedebat super equum, & ut diceretur ei in agnus sine macula peccati erat, & ut diceretur ei in Canticis, qui sedebat super equum, totum quidem al-
buntur autem cum equi, rufi, varij & albi. Rufi sunt Martyres, semper mortificationem in corpore suo pro
fessiones, semper in pace Ecclesie virtutibus & doctri-
na florentes: Varj, qui aliquando cruciabantur, ali-
quando relaxabantur, nec continue persecutionem pa-
rebantur, nec assidua pace vivebantur.]

In quo claudices sefforis & equi, cum verbo &
humanitate comparatio.

361. Videor satis superque omnem labem expurgasse
comparationis propositæ Verbi cum equite seffore,
de humanitate assumptæ cum equo. Nam quis multa
recedat, comparationem esse periculofam, vel erro-
re sedentem, quam in Scripturis tam multis, Spiritus
sanctus de tot Patrum niente expressam voluit? Quia
tamen comparationes omnes sunt comparationes,
non identitates; & ideo semper claudicant, non est
hæc comparatio accommodanda ad institutum quo-
ad omnia: alioqui duas in Christo personas agnosce-
remus, sicut sunt equis & equi duo supposita. Verum
idem periculum alijs omnibus huius mysterij compa-
rationibus immineret: neque tamen ideo eas abij-
cimus tanquam erroneas, v.g. humanitatem cum in-
duimento contulit Apostolus, Verbum cum vestiente
se, eo amictu. Similiter templum cum humanitate, ip-
semet Christus contulit, Verbum cum inhabitante
templum Dei. In ipso vestibulo Evangelij Ioannis, hu-
manitas Christi confertur cum tabernaculo, in quo
Verbum caro factum inhabitet: nam illud *Habitavit*
in nobis, Græcè est *ἐσκήνωσεν*, quod habitationem in
tabernaculo designat. Cõstat autem indumentum, tem-
plum, tabernaculum, differre supposito à vestito, & ha-
bitatore: vnde illis comparationibus in Scriptura cre-
ditis, Nestorius eiusque affecta abutebantur ad erroris
retrinitum parociniam: neque tamen Catholici, virtu-
tibus vilam earum comparationum aptè accom-
modatam agnouerunt, sed quod in eis erat oppor-
tunum ad mysterij huius expressionem, v. g. parum di-
missis reliquis: ut in omnibus exemplis & compara-
tionibus vsu venit, ut notauit S. Chrysostomus hom.
16. in epistolam ad Rom. ad illud: *Nun dicet figmentum*.
Quamquam Rupertus in c. 1. Ioannis ad illud: *Et ego*
et vitam perhibui quia hic est Filius Dei. In
preclara quæ in Nestorianismi cõfutatione, Ita
enim ut ratum, equum & equitem non haberi ut duas
personas, sed ut vnâ: Ita ut persona sedentis in
equo, equi personam absumat; ut cum ipso equus, cui
tamen vnus non est, personarum numerum facere
non possit. Sumitque personam non prout est suppo-
situm intellectuale, sed ad solutè pro supposito. Et eo-
dem modo philosophatur omnino luculenter lib. 11.
de officijs cap. 13. iuxta quam suppositionem, nihil est
in hæc vnica comparatione periculi.

Præclauderet autem geminæ supposititalitatis su-
spicio, si quis equum & equitem cum quo conferret
humanitatem ac Verbum, vnde resultat Christus; di-
ceret se habuisse, non ut vulgares infelices ad equos
quibus insident, sed ut ceteros illos, & quos in equis,
re temporibus illis planè insolita, ad Peneum amnem

aquantres, speciem biformis monstri procul spe-
antibus præbuisse, produnt Mythologi. Similiter enim
Christus, ex duplici substantia, diuina scilicet huma-
naque verè in vnum suppositum adunatis compingit-
ur: sicut etiam quod initio operis vidimus, Gigas ge-
minæ substantiæ ab inneris Patribus est appellatus,
eod quod exurgat ex duabus naturis in vnâ personam
coniunctis: sicut Gigantes de præcorum fabulorum
sententia, ex humana supernè, at infernè ex anguina
substantia, in vnum totum, vnumque suppositum adu-
natis, resultabant.

Christus, an cum Centauro componi queat.

364. Apage, inquis. Christum cum monstis com-
ponis, quodque detestabilius est, cum ijs monstis quæ
delusa vario errore Gentilitas, commenta est in fabu-
lis; nec ad rei honestæ expressionem, sed ad hominum
scelestissimorum qui propè in bruta degenerassent,
adumbrationem. Quod enim notauit maximus Tyrius
dissert. 34. num. 200. Centauri figmenta sunt ideo
confecta, ut intelligeremus quotquot belluinis succum-
bunt cupiditatibus, euadere in belluas, & semihomi-
nes semiferos viuere; vel simul specie externa & phy-
sica constitutione homines esse, morali belluas pro vi-
tiorum varietate diueras: id quod confirmant nota-
tiones nominum quibus centaui sunt designati, quæ
omnes flagitium sonant. Recenset eas Delius in notis
breuioribus ad Senecæ Herculem Octauum v. 305.
Quid ergo est, Christum centauro componere, nisi
peccati insimulare ipsam innocentiam, ipsamque sani-
tatem; & brutei centem affectum Christo impone-
re: Et idem opponi potest de comparatione humani-
tatis Christi cum equo. Esse enim equum in Scriptu-
ris, intemperantiæ Symbolum, constat ex ea moniti-
one, ne fiamus sicut equus & mulus.

Hæc retundere non est operosum. Imò vix est quod
difficultatem solidam iniiciat. Non est sanè qui Chri-
stum peccatoris specie exhibet, damnabilior quam
Apostolus, qui eum pro nobis, peccatum & maledi-
ctum esse factum, pronunciauit. Qui item Christum
aliquatenus cum centauro fabuloso præcisè prout ex
duplici substantia compacto conferat, non plus crimi-
nationi iure pareat, quam tot Patres, qui Gigantis na-
turæ geminæ compoliti, anguinæ & humanæ ac Chri-
sti contentionem fecerunt. Eo namque demisit se Deus
nostri causa, ut quod nos ipsi descenderamus volentes,
ipse opulator aduenerit. Itaque quia homines infeli-
ci confociatione extraneam sibi naturam mysticè afci-
uerant; adiunxit sibi re ipsa Deus naturam extraneam,
ut in ea, & per eam, nos liberaret, quod alioqui con-
gruè non poterat. Christum ergo ita confecti patior
cum composito fabuloso è duplici natura, ut veritas
quæ centauro poetico competere nullo modo potuit,
vnde & monstrum & figmentum est, & appellatur, re
ipsa absque monstrositate, plenissimo stuporis diuino
opificio cernatur in Christo: Deo duas naturas in
vnus suppositi societatem vinculante ordinatissimè
ac per se; substantialiter atque adeo non monstrosè si-
gnificatio autem mystica centauri poetici, protus à
Christo absuit, æquè ac probrosa equi significatio ab
eius humanitate. Quod enim D. Augustinus egregiè
obserpauit, & tanquam rem vilissimam, & quæ mul-
tum ad intelligentiam Scripturarum conferat, com-
mendat serm. 20. de diuersis cap. 6. & 7. non semper
eadem significantur certis quibusdam rebus: sed quod
nunc ad aliquid prauum significandum assumitur, ut
verè de centauro ex Tyrii sententia est dictum, & de
equo intemperantiæ Symbolo ex multis Scripturis
probari potest, alibi aliud planè designat.

Doctrinam perillustrem & admodum latè perti-
nentem iuvat luculento testimonio firmare. [Non
S 4 semper

semper (inquit) D. Augustinus) *Mons* Dominum significat, non semper *Lapsus* Dominum significat, non semper *Leo* Dominum significat, non semper bonum, non semper malum; sed pro locis Scripturarum quod pertinent cetera circumstantiæ ipsius lectionis. Quemadmodum literæ in tot millibus verborum atque sermonum, ipsæ repetuntur, non augentur; verba infinita sunt, finitæ tamen sunt literæ. Verba numerare nemo potest; literas quis potest: vade multitudo verborum est. Cum una litera varijs in locis ponitur, & pro loco valet, non unam rem valet. Quæ tam diuersæ res, quam Deus & diabolus: Tamen in capite. D. litera est, cum dicimus *Deus* & cum dicimus *Diabolus*. Sicut ergo litera pro loco valet; erat autem & nimis absurdus est; & intra puerile cor; qui cum, legerit v.g. D. literam in nomine *Dei*, timeret illam ponere in nomine *Diaboli*, ne quasi Deo faciat iniuriam: sic etiam qui imperitè audit diuinas Scripturas, vt de isto modo exemplo non recedamus, cum audit v.g. in Allegoria positum *Fluuium*, eo loco vbi dictum est: *Fluuius impetum laetificat civitatem Dei*. Dictum est autem de inundatione Spiritus sancti, de qua alio loco ait Propheta: *Inebriabuntur ab ubertate domus tua & torrente voluptatis tua potabis eos*. Cum ergo sic acceperit fluuium in bono, & laudauerit & delectatus fuerit: quando pro loco dicitur ei, quod fluuius significet homines fluentes, & temporalibus deditos, cum transierint amore transientes, expauescit: quia in alio loco acceperat fluuium in bono significare aliquid, & perturbatur: Ita fit in Scripturis mutus, quomodo in literis mutus efficitur, si noluerit transferre ipsas literas ad alia verba, sed in his solis eas tenuerit, in quibus eas primò didicerit.]

Quare tamen si quoad cōpactionem ex duplici substantia, cerni possit rudimentum aliquod similitudinis inter Christum & substantias illas geminas; iremque inter equum & humanitatem Christi, multa sint affinitas; tamen significatio mystica qua substantiæ illæ geminæ apud Poetas & Mythologos brutescens hominis impietatem; equi verò intemperantiam designant, nullatenus in hoc geminæ substantiæ composito, vel in Christi humanitate reperitur: sed tantum realis ac verus, Dei, superlittere Deitate, transitus in hominem, siue in *homo*, & inhumanatio ac coniunctio cum humanitate sanctissima. Ad eam namque realem & substantialem cum natura extranea coniunctionem, ordinatissimus Dei amor adduxit Deum: sicut inordinatus & perversus hominum amor, per merum affectum, nec nili mysticè, eos adducit ad transitum in bruta, superlittere physicè humanitate. Nec plura de iure usurpandi citra notam & labem, equum & equitem sessorum in Symbola Verbi & humanitatis assumptæ.

Equum & eques, apta Symbola humanitatis ac Verbi.

365. Addendum verò est, congruentissimè Spiritum sanctum Verbi diuini ad nos saluandos aduentum, eo Symbolo delineatum voluisse. Quod enim pluribus persecuti sunt alij, equus & eques, notæ sunt salutis aduentantis: Id quod ex plerisque Scripturis habetur, quibus salus ab equis, tametsi sæpè ad salutem fallacibus, sperata dicitur. Nec non ex Romana historia, qua Castor & Pollux adiutores & liberatores, in equis apparuisse referantur. Fabulis abstinemus. In lib. 2. Machab. cap. 3. Angelus sospitator in equo visus est. Et ibid. cap. 10. quinque viri subsidiarij, in equis apparuerunt. Historiæ item Hispaniæ, sublimem in equo S. Iacobum, Catholici exercitus præsidem apparuisse, in salutis & certæ victoriæ indicium, produnt. Picturam S. Georgij equo insidentis, & draconem hasta transfigentis, sicque virginem supplicem liberantis,

Symbolum esse provinciæ aut ciuitatis cuiusdam B. Georgij precibus ac meritis salutem consecutæ, & à diaboli inlestatione ereptæ, Card. Baro. ad Rom. Martyrol. Aprilis 23. pronunciauit. Nec nisi proportionalis fuisse sensus potest alteri Allegoriæ quam ei picturæ inædificat Villauic. l. 3. de ratione studij Theol. cap. 7. Nam vt tota pictura sit symbolica impleque etiam S. Georgius sit quid symbolicum, & confictum ad commodam morum doctrinam, quod Villanencio tribuit Molanus l. b. 3. de imag. cap. 14. & à multis Nouatoribus cum ibidem, tum apud Serarium lib. 2. litanentico prolatis, est traditum, nemo Catholicus ausit vigilans effugire. Sed quod in vñ veterum Christianorum fuisse, vt symbolicas huiusmodi notas veræ alicui personæ adiungerent in picturis, liquet ex Eusebio lib. 3. vitæ Constantini c. item 3. hoc in ea quoque S. Georgij equestri pictura vsurpatum est, vt salus eius meritis vñ alicui aut provinciæ collata, eiusdem in equo sublimis expressione adumbraretur. Tale ergo Symbolum aduentantis ob salutem nostram diuini Verbi, equum cum equite sessore, exhiberi voluisse Spiritum sanctum, non inuenisimilis est coniectura.

Vñs doctrina.

366. Non alio autem ex fine Verbum Dei specie se equis humanitati nostræ imposuit, quam vt dicamus nos quoque, freno circumducere nos ipsos, & iumentum carnis nostræ benè regere. Hortantur ad id frequenter Patres. Pulchrè Origenes hom. 6. in Iudices, tractans illud: *Potentes populi benedicite Dominum qui ascendistis super iumenta*, quæ sint ea iumenta, percunctatus, responder: [Corpus hoc meum, iumentum est: ad adiumentum enim animæ, & ad ministerium datum est, ego autem sum (id est interior homo,) qui ascendi super iumentum hoc, cui dicitur, vt benedicam Dominum. Si ergo verè ascendisti supra corpus, & superior effectus es corporalibus desiderijs, & motus corporis tui freno mentis, & interioris hominis moderamine gubernantur, de te dicitur quia ascendisti super iumentum hoc, cui dicitur vt benedicat Dominum. Quid autem est quod sequitur? *Super vehicula*, (inquit) *sedentes, & super asinas resurgentes*. Quid tibi videntur esse *asina resurgentes*? Dicit enim Scriptura quia oporteat benedicere Dominum, eos qui sedent super vehicula, & super asinas resurgentes. Mihi velut in locis ita difficilibus tale aliquid videtur: cum iumentum hoc, id est corpus meum sub iugo venerit Verbi Dei, tunc vehiculum corporis mei resplendere, incipiet; & asina hæc, id est, caro mea, tunc resurgere dicitur, cum castitatis ac pudicitia fuerit splendore decorata. Et ita rectè dicitur, anima sedens super asinam resplendentem, Dominum benedicere, & in medio latantium laudare eum.]

Idem habet S. Basilius in constit. Monast. cap. 1. *Ad finem*, [Vt luculenta (inquit) quædam res & per se bonæ equus est, & quo is natura ferocior est ac vehementior, eo præstantior haberi solet: sessor tamen perito eger, moderatoreque, nempe, qui ipse rationis sit expertus. Enim verò in eum vbi moderator ascendere, ille quidem conabitur vti ingenio suo: Hic si naturales rector iumenti motus rectè ac ratione insidens gubernet, præterquam quod ipso utiliter vsus est, etiam ad finem quem sibi proposuit, peruenit; nempe, qui & ipse incolumis seruatus sit, & iumentum ad vñm, sibi commodissimum esse intellexerit. Contra verò, vbi pullum qui in frenando præter, vitiosè instituerit, & pullus sæpè numero ab recta via aberrat, & per confragosa ruens, se & sessorum ipsum plerumque in eandem ruinam dat, & vtriusque casus non aliunde quam ex rectoris ignavia proficiscitur. Similem etiam in animo quoque & corpore esse exillimare rationem debes. Neque enim temere tributi corpori appetitus sunt,

sunt, sed ut ad res aliquas prorsus viles essent, & commodi. Ipsum autem rationis est expertus; nimirum, ob eam causam, ut rationis præstantia maiorem animus dignitatem obtineret. Si enim naturales ipse corporis recte temperaret motus, præter id quod incolume illud constaret, hoc etiam accedit, quod ipse perpetuo à periculis permanet liber. Si verò neglecta ratione se totum dedit, & moderandi habenas ignaviae relictas, & ipsum corpus veluti quod ratione moderaretur, & ab recta egreditur via, & animam traxit de seipso, non quidem vna in eadem perniciem trahit; non quidem ob eam causam, quod suapte natura ipsum sit vitiosum, sed quod illa negligens sit.]

Denique S. Augustinus lib. de Cantico nouo cap. 3. (Hæbet viam, inquit) ambula sollicitus. Tantum domum iumentum tuum, carnem tuam, ipsi enim insidet anima tua. Quomodo si in hac via mortali iumento insideres, quod te gessendo vellet præcipitare, nonne ut securus iter ageres, cibaria ferocienti subtraheres, & fame domares, quod frango non posses? Caro nostra, iumentum nostrum est, iter agimus in terulalem. Plerumque nos rapit caro, & de via conatur excludere. Tale ergo iumentum cohibeamus ieiunijs. Vide illam gubernatorem eundemque viatorem Apostolum Paulum; vide illum, iumentum suum domantem. In fame, inquit, & siti, in ieiunijs sæpe castigo corpus meum, & in feruitum redigo. Ita ergo & tu qui ambulare desideras, doma carnem tuam, & ambula.] Ita planè faciendum nobis, ut scopo quem Verbum Dei habuit propositum, cum carni suæ ut iumento infedit, respondemus, ipsumque Verbum humanitati inequitanti, imitatione exprimamus.

CAPVT X.

Verbum Negotians.

Multiplicem Verbi Diuini negotiationem, in Scripturis, & Patribus distinctam video. Alteram Verbi cum humanitate, quod est illud admirabile commercium, quo Creator generis humani animarum corpus sumens, de Virgine nasci dignatus est, & procedens homo sine semine (humanitatem accipiens de nostro,) vice versâ largitus est nobis suam Deitatem. Ab hac negotiatione ad aliam deuentum est, qua Verbum iam humanarum siue incarnatum, cum Patre salutem nostram negotiatum est, exhibito illo pretio redemptionis nostræ: ac postinde cōstruendo à Patre, pretio magno, humano genere. Postest addi tertia negotiatio, qua Verbum Dei in sua humanitate, seu Christus, nobiscum negotiatur, emens à nobis quæ ipse nobis dedit, & preciosa fecerit. Nunc quia mysterij incarnationis substantiam symbolice in Scripturis expressam, vestigamus, de prima præsertim negotiatione Verbi, erit agendum. Quia ea non prima ordinatur ad posteriores, eas quoque attingemus.

Verbi aduentus, Negotiatio nobiscum.

Miscram negotiationem protoplastorum qua omnes per nunquam satis deploratam amentiam, commutauimus felicitatem iugibus calamitatibus, exhibet S. Dionysius, & Eccl. Hier. p. 3, commutationem verò contrariam à Christo mercatore optimo factam his verbis subiungit. [At verò Diuina bonitatis immensa humanitas, Prouidentiam, curamque nostri, quæ per se curat omnia, pro tua in nos benignitate non abiecit, sed nostrorum omnium verè facta particeps sine peccato, ac cum humilitate nostra, vna facta & coniuncta, cum suorum nec confuso nec imminuto vlla ex parte statum, & secum coniunctionem, ac societatem nobis, ut eiusdem generis deinceps concessit, & participes, sociosque declarauit bonorum suorum, cum & multitudinis quæ defecit, (ut Scriptura tradit) impe-

rium quod in nos haberet, dissoluisset; non pro potestate, quod longe multumque superaret, sed ut mystice tradit Scriptura, in iudicio atque iustitia, & nostra in contrarium benignè mutauisset.] Suspexit hanc permutationem perleganter Iustinus ep. lto. ad Diagnetum sub finem, & iustum pro iniustis, immortalem pro mortalibus datum, demiratus, subdit: [O dulcem permutationem lō imperuestigabile artificium lō beneficia expectationem omnem superantia. Ut iniquitas quidem multorum, in iusto vno abscondatur, iustitia autem vnius faciat ut multi iniusti pro iustis habeantur.] Proculus item, concinnè serm. de Nat. Dom. num. 8. [Admiranda quædam (inquit) commutatio hic interuenit. Dato namque Spiritu accepit carnem, idem cum Virgine, & ex Virgine.]

368. Gaudet mercimonij & negotiationis comparatione, Verbi ad nos aduentum adumbrare S. Augustinus; ideoque in ea comparationem frequens est. Polch. è serm. 34. ex 40. nouis. [Mortuus est Deus, ut compensatio fieret cœlestis cuiusdam mercimonij, ne mortem videret homo. Deus enim Christus. Sed non ibi mortuus ubi Deus. Idem enim Deus, idem homo. Vnus enim Christus, Deus & homo. Homo assumptus est, ut in melius mutaremur, non Deum ad deteriora detorsit. Assumpsit enim quod non erat, non amisit quod erat. Cum ergo Deus esset & homo, volens nos viuere de suo, mortuus est de nostro. Vnde enim ipse moreretur non habebat? sed nec nos vnde viueremus. Quid enim ille erat, qui non habebat vnde moreretur? In principio erat Verbum & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Quare de Deo vnde moriatur, non inuenies. Nos autem morimur, qui sumus caro. Peccati carnem portans homo. Peccatum quare vnde vnam; non habet. Nec ille ergo potuit habere mortem de suo, nec nos vitam de nostro; sed nos vitam de ipsius, mortem de nostro. Qualia commercia: quid dedit, & quid accepit? Mercantes homines veniunt ad commercia, ad res mutandas. Nam antiqua commercia, rerum mutatio fuit. Dabat homo quod habebat, & accipiebat quod non habebat, v.g. habebat triticum, sed hordeum non habebat; alter hordeum habebat, & triticum non habebat. Dabit ille triticum quod habebat, accipiebat hordeum quod non habebat. Quanti erat, ut maior copia vilem speciem compensaret? Ecce ergo alius dat hordeum ut accipiat triticum. Postremum alius dat plumbum, ut accipiat argentum; alius dat lanam ut accipiat vestem. Et quis enumerat omnia? Tamen nemo dat vitam, ut accipiat mortem. Non ergo vox medici pendens in ligno, inanis fuit. Ut enim moreretur pro nobis, quia Verbum mori non poterat, Verbum caro factum est, & habitauit in nobis.]

369. Non potuit elegantius & expressius commercium à Verbo nobiscum per incarnationem initum, proponere. Sed quod de suscepta morte & ærumnis nostris præmittit, ut cohæreat cum extrema clausula relata, recidatque in commutationem qua Verbum caro factum est, dans Deitatem, & accipiens humanitatem, non est accipiendum de perpassionibus & actionibus Christi iam producti: sed de debito ad eas, consequenter ad assumptionem humanitatis. Quia enim Verbum humanam carnem passibilem & mortalem assumpsit, consequens fuit, ut pateretur & moreretur. Ideoque quod ait S. Augustinus, celestem negotiatorem accepisse mortem, & dedisse vitam; de morte radicaliter & causaliter accepta ratione humanitatis mortalis intelligendum est, non autem de formal admissione mortis, quæ ad secundam negotiationem propositam pertinet, non ad hanc primam, qua præcisè mysterij huius substantia, & Verbi nobiscum coniunctio exprimitur. Eodemque sensu accipiendus est D. Augustinus, quoties de Verbi nobiscum mercimonij &